

131, *Settembre* 9.*Regali al valore di 30 Lire per le nozze del Re.*

Quod occasione nuptiarum quos nuper fecit Dms Rex Harmenie, mittantur ei dona qui valeant libras XXX grossorum, per Baiulum nunc iturum. Et si consilium est contra, quia non fuit dictum tribus diebus ante, sit revocatum quantum in hoc.

— Item, Quod Dms, Consiliarij et Capita vel major pars possint dictas denarias mutuo accipere et recuperare omni modo ad proficium et per omnem viam que eis melius videbitur.

[Clericus, 59].

1316, *Settembre* 20.*Prestito per procurare le 30 Lire suaccennate.*

Cum solvi oporteat circa libras XX grossorum de quibus cambium factum est Fratribus *Paulino* et *Baxano* Notaris qui sunt Neapolim, et solvere etiam necesse sit libras XXX grossorum pro donis missis Dno Regi Harmenie, et etiam libras XX pro donis factis uxori Dni Ducis Calabrie, et expensas facere pro ea, et etiam pro Littore S. Nicolay oportunum sit; et isti denarii non possint accipi de Monte, per formam Consiliorum inhybentium, et de denariis 3000 librarum de mense non sit quod possit accipi, ita quod accipientur de denariis gratiarum, sed quia ad presens non sunt de denariis gratiarum nisi forte libre XX grossorum; Capta fuit pars quod Dominus et Consilarii et Capita vel maior pars eorum possint predictos denarios qui deficerent pro predictis factis accipere mutuo ad prode et iniungatur officialibus furmenti, quod sicut venient eis denarij gratiarum statim reddere teneantur illis qui mutuaverint: et si Consilium vel Capitulare est contra, sit revocatum quantum in hoc.

[Clericus, 59 tº].